



**Epistola Consolatoria, ad reverendos et gravissimos  
Theologos, D. Iacobum Andreae: et d. Lucam Osiandrum. : De  
Palatinatus electoralis Administratione, & instituta in Ecclesiis  
& scholis emendatione; de qua in postremis suis scriptis cum  
magna perturbatione queruntur.**

<https://hdl.handle.net/1874/423579>

96  
Epistola Consolatoria,  
**A D R E V E R E N-**  
**D O S E T G R A V I S S I -**  
mos Theologos,

*D.Iacobum Andrea:*

ET

*D.Lucam Osiandrum.*

*D E P A L A T I N A T V S E L E C T O R A -*  
*lis Administratione, & instituta in Ecclesiis &*  
*scholis emendatione; de qua in postremis suis scriptis*  
*cum magna perturbatione queruntur.*

Scripta à Ministris orthodoxis Eccle-  
sia Heidelbergensis.



*Typis Matthaei Harnisch*

ANNO

clo. b. Lxxxiiii.

AD LECTOREM CHRIS-  
tianum admonitio ex D. Augustino.  
Homil. 50.

PRÆPOSITORVM mali mores non  
imitandi sunt , nec à pietate deterrere de-  
bent : ut si quis viator remeare vellet , & in-  
termittere iter : quia statua Mercuriales do-  
centes viam non ambulant . Imitandi sunt  
potius ij comites itineris , qui & iter  
benemonstrant , & in via  
perseuerant .

# EPISTOLA CON- SOLATORIA.



T s i in postremis vestris scriptis, Reuerēdi viri, omnes irarum habenaſeſ-  
ſudiffe videmini: dū nullis ordinibus,  
non Theologis, nō Iurisconsultis, non  
Medicis, non alijs Politicis viris, imo  
nemortuis quidem parcitis: (quo no-  
mine varia & grauia iudicia ſibi ſubeunda praeuidit, &  
in epistolæ dedicatoriæ limine prædixit Dominus  
Doctor Iacobus) verè tamen teſtari poſſumus, ſcripta  
illa veſtra in nobis non iram, ſed commiſerationem  
excitatſe, quæ nos ad aliquod ſolamen grauissimæ ve-  
ſtræ perturbationi querendū, & vobis, antequam  
morbus aut dolor inualeſcat, quamprimum imperti-  
endū, impulit. Sicut enim abundant perpeſſiones  
Christi in nobis: ſic per Christum abundat etiam con-  
ſolatio noſtra; ita ut alios quoque conſolari poſſimus:  
ſi modò conſolationem admittant, nec in ſano dolori  
nimis indulgeant. Non eſt autē, ut neceſſarium ægritu-  
dini veſtre ſolatium ideò reſpuatis, quod vobis fortal-  
fe inuiſum eſt nomen noſtrum, D. Oſiandro nomina-  
tim, qui ſibi iam cum funeſto illo Haman, iam cum ca-  
nibus, ut ſcriptum eius poſtremum ſtatim ab initio te-  
ſtatur, rem eſſe putat, quotiescumque noſtra legit. Has  
enim tetras cogitationes Melancholiæ morbus, & ani-  
mi perturbationes ſuggerunt: Veniat igitur vobis in ſolaciones  
mentem potius veriſſimum illud Comici dictum: Abs  
quouis homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas:

*D. Iacobus  
& D. Lu-  
cas comi-  
ſeratione  
digni.*

*An D. Iace-  
bus & D.  
Lucas de-  
beant re-  
fuerere con-  
ſolaciones  
Palarina-  
rum Mini-  
ſorum.*

& eos magis fidos vobis, magis sinceros esse statuite,  
qui fideliter monent, salubriter consolantur, & utili-  
ter docent, quām qui adulatoriē palpant, seruiliter  
blandiuntur, & pasquillis, aliisq; anilibus fabulis Hei-  
delberga ad vos missis, dolorem vestrum lenire studēt.  
Morbus certè grauis vos exercet, & perturbatio tanta,  
quantam vix sensistis vñquam, ne dum quidem, cum  
Hispani patriam, Iesuitæ Ecclesiam vexarunt, & quæ te-  
procul dubio, clarissime D. Iacobe nihil minus alijs  
quām solitariæ vitæ assuetum, in monasterium Beben-  
husianum per hanc æstatē expulit, vbi præ animi me-  
rore, & tanquam in ecstasi positus, tres <sup>s o l e s</sup> vide-  
re, tres Electoralis Palatinatus contutores imaginari  
credis: Infanda, inexpabilia, inaudita in Imperio, fieri  
vociferaris: omnes ferè Principum consiliarios in su-  
spicionem & odium vocas: tres illustrissimos Germa-  
niæ Principes, quibus tuā (vt typographo ponere pla-  
cuit) c o n f u t i o n e m inscripsisti, inertia tacitè accu-  
fas, quòd officij, & vocationis immemores, seria tantæ  
indignitatis (vt loqueris) consideratione non exciten-  
tur, & de rationibus præcaudorum tantorum malo-  
rum non cogitent. Quæ est igitur cura, quæ vos tanto-  
perè coquit, & versat sub pectore fixa: vosq; in graui-  
simum Melancholia morbum præcipitasse videtur?  
Est enim sanitatis initium agnoscere morbum: & ab  
hac cauſarum indagatione, adhibentes remedia & so-  
lamina, initium facere oportet.

*Tres canſa  
perturba-  
tionis D. Ia-  
cobi, & D.  
Luca,*

Tres omnino apparentes & expressæ cauſæ infan-  
di vestri doloris in vestris illis lamentabilibus scriptis  
reperiuntur: Prima, quòd Palatinatum Electoram,  
quem hoc septennio sub iugum vestrum Vbiquitariū  
miseras, & cuius perpetuam administrationem vobis  
despon-

despondebatis, vos pro suis metropolitanis Episcopis non amplius agnoscere animaduertitis. Altera, quod mutationes crebras in Palatinatu conspici, & quæ à vobis fabricata & structa fuerat, deformari lamentami- ni. Tertia, quod plerosque sapientes viros, Theologos, Jurisconsultos, Medicos, Philosophos, ipsos vestrarum scholarū discipulos & alumnos, quibus ex vestro præscripto rationem omnem abijcere non libet, à vobis ad consensum orthodoxum quotidie deficere videtis. De his tribus si respondebimus, Et hos scrupulos, qui vos vehementer premunt, excemerimus: magna proculdubio ægritudinis vestrae parte releuabimini.

Angit igitur vos primùm, quod illustrissimus ac fortissimus Princeps Dux Iohannes Casimirus Comes Palatinus ad Rhenum, nepotis Principis tutor & Electoralis Palatinatus Administrator, vobiscum imperium non diuidit, & Ecclesiastica vestra iurisdicione in Palatinatu excidistis, quod quo magis præter spem vobis euenit, eò cruciat magis, & tantum bolum è fauibus vobis eripi tam indignè fertis, vt totum Imperium, si possetis, nominatim tres illustrissimos ac potètissimos Imperij Principes, imò ipsum Acheronta contra nos concitare, vobis proponatis. Nam si vna Helena Troianis exitio fuit, cur duo clarissimi, audacissimi, & grauissimi Theologi, Palatinati non sint graues futuri, & causa exitij? Quemadmodum igitur olim cum spes capiēdæ Troiæ non esset, nisi prius sublato Palladio, Vlysses, & Diomedes per vrbis cloacas ascenderunt, vt fatale illud Mineruæ simulacrum auferrent: Sic vos, D. Iacobus, & D. Luca, per omnes con- uitiorum, maledictorum, dicteriorum è medijs triuijs petitorum cloacas penetratis, vt nostris Ecclesijs, or-

A iiij thodo-

*Consolatio  
contrapri-  
mam per-  
turbatio-  
nem.*

*Iacobi An-  
drea & O-  
siandi cū  
Vlysse &  
Diomede  
compara-  
tio.*

*110.*

thodoxæ & Christianæ doctrinæ laudem etripiatis, qua  
destituti omnium hominū malevolentia expositi si-  
mus. Verùm sunt hæc nostro iudicio ingētis luctus ve-  
stri inania solatia, Primum enim iam sèpe experti estis;  
pessimum esse custodem diuturnitatis metum, & qua-  
vi minis (præsertim in causa Religionis) geruntur, parū  
firmo fundamento niti. Huc accedit, quòd sapientis-  
fimi & consideratissimi quique semper senserunt, non  
in eiusdem potestate esse initium & exitum bellorum  
(quæ vos affectare videmini,) & sèpe in bellis non tam  
inimicis, quæam amicis fieri iniuriam: nisi vobis Theo-  
logis grauissimis versus ille fortassis allubescit, quem  
Cicero pro Deiotaro immanem appellat: *Pereant ami-  
ci, dum vna inimici intercidant.*

Cæterùm cur quæso in gratiam Præpositi vniuersit  
alterius, qui nouum primatum afferant, totum com-  
moueretur Imperium, quod Archiepiscopū Electorē  
electum & confirmatum tueri haetenus aut noluit aut  
non potuit? Neq; est illa demerendorū, & ad obsequia  
vestra flectendorum Politicorum ratio, quòd subinde  
illos pungitis, eorum autoritatem extenuatis, fidem  
eleuatis, & aculeatis dictis & disterijs perstringitis:  
quod vobiscum strenuè fecit Vigandus Episcopus in  
præfatione suæ farraginis ad serenissimum regē Dan.<sup>102</sup>  
Præterea quis vester est sensus? quæ cogitatio? quòd  
in brachio carnis, in syncretismis vestris, in cumulatis  
calumnijs præsidium queritis? vt iurisdictionis vestræ  
pomoeria dilatetis? An vobis quæso excidit illud Salo-  
monis Proverb. 16. *Vir peruersus occasiones contentionis  
injicit: & delator sape inter magnates dissidia concitat.* Item  
*illæ redargutio apud Iesaiam, eorū, qui mendacium ponūt  
spem suam, & in eos occultant:* vel illud Cypriani lib. 3.  
Epist.

Epist. Hæc est verè dementia, nō cogitare, nec scire, quòd mē-  
dacia non diu fallunt: noctem tamdiu esse, dū illucescat dies.  
Hæc quæsumus, recta via apud vos reputate, & inanib.  
solatijs animos vestros mulcere definite: ac potius illi  
vestro dolori de amissa in Palatinatu iurisdictione ma-  
lagma istud admouete: vt scilicet cogitetis, rerum  
omnium esse vicissitudinem, & sicut Danielis 4. legi.  
mus, decreto vigilum fieri hac, & Altissimum dare regna &  
imperia, quibus vult, & HVMILB inter homines consti-  
tuere, cum lubet, super Principatus. Nec ignotum est  
vobis unde quaque doctissimis viris illud Senecæ: Nec  
regna nec redē socium ferunt: præsertim cum nec diui-  
næ nec humanæ leges, nec iura & consuetudines Im-  
perij metropolitanam illam in Palatinatum iurisdi-  
ctionem vobis audiudicent. Et certè, clarissimi viri, si  
vos recolligetis non nihil, & rem penitus cum animis  
vestris perpendetis, magna molestia vos liberatos vi-  
debitis, quòd vos homines plus satis domi, & in ipsa  
Græcia cum patriarcha Constantinopolitano occu-  
pati rerum nostrarum procuratione liberati estis. Nā,  
qui multa in se suscipit, magnam rationem redditurus  
est; vt prætermittamus, quòd in multis rebus simul ad-  
ministrandis multum peccari solet: quemadmodum  
& vobis notissimum est tritum illud dictum <sup>B 1 Q V B</sup> nūsquam sunt, nūsquam sunt. Recreet igitur vos An-  
tiochi regis Asiaz exemplum, qui priuatus parte re-  
gni, benignè sibi à populo Romano factum esse di-  
xit, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis re-  
gni terminis veteretur. Meminitis etiam ambiguam  
fuisse, & non solidam vestram metropolitanam in  
Palatinatu administrationem, quam iam Marbachi-  
us ille senex, iam eius asseclæ, iam aulici concio-  
natores

natores sibi vendicabant. Netamen vobis negotiosissimis  
 viris desit, quod agatis & tutemini, næ vos illusterrimus Princeps IOHANNES CASIMIRVS facilè patietur esse contutores pacis & concordia publicæ contutores veritatis Euangelicæ, contutores caritatis Christianæ, quas nisi in posterum melius, quam hactenus, tutabimini, & tuebimini, breui planè amittetis, & indignos vos omni tutela ostendetis. Meminerunt quidem nostrum aliquot, te, clarissime D. Iacobe, cum aliquando in conuiuio paulò hilior essemus, & secretiores tuas cogitationes recluderes, demonstrare con-

D. Iacobi tum, Ecclesiarum tranquillum statum tueri difficile esse, nisi cogitationes de Monarchia Ecclesiastica, ad aliquæ tanquam summum Administratore & Pontificem rerum summa deferatur: qualem Pontificem scis nos Christianos Euangelicos Christum solum agnoscere: quò magis mirabantur nonnulli, te capit is subalterni titulum & honorem, quem Pontifici Romano merito abrogamus, in Ecclesiis Euangelicas inuehere velle: præsertim cum Aristotelicum illud Axioma: non esse utile multorum dominationem, & unum dominum constitutendum, à Politia ad Ecclesiam haud esse traducendum, inter pios constet. Aliàs enim ad nouum Antichristianismum relaberemur. Et ipse expertus es, teincenses, quæ singulæ prouinciae suos habent Episcopos, imperij tui æmulos, generalis Episcopi, & patriarchæ autoritatem, tot peregrinationibus, formulis, placitis, & Decretalibus sanctis, tibi cōparare voluisse. Omiserum te, D. Iacobe, si intelligis, miseriorem, si non intelligis Germanicam gentem libertatis amantem, vix excusso iugo Pontificis, non tam facilè adductum iri, vt noui hominis nulla commēdatione maiorum, imo nulla

*Quod clavis con-  
tirela D.  
Iacobus &  
D. Luca  
conceda-  
tur.*

nulla aliare, nisi lingua & volubilitate, audacia ingenij,  
 & infacetis facetijs cogniti, iugum induat, & vbi digi-  
 tis concrepueris, Electoratum administrationem ti-  
 bi concedat? Nam puerile est, & quod pueris ipsis non  
 es persuasurus, quod tu, D. Osiander scribis, Illustris.  
Pag. 2 67.  
 simum Principem, Ducē Iohannem Casimirum  
 non proprio motu, sed à consiliarijs nonnullis & alijs  
 instigatum, hanc, quam ambitis, contutelam vobis  
 abrogare: quasi vel Principes imperiorum sibi à Deo  
 concreditorum confortes facile admittere soleat: vel  
 consiliarijs, aut consilijs multis in ijs rebus ipsis sit  
 opus, quæ iura naturæ, diuina, humana, ipsis tribuunt,  
 & ad quæ naturali quodam, generoso & heroico impe-  
 tu, rapiuntur. Fuit olim tempus, cum N. Testamenti  
 verba vestræ causæ fauere volebatis: Nunc vix aliud,  
 quām Brentij, aut Electoris Ludouici Testamentum, à  
 vestris coniuratis dictatum, sonatis: Quasi vicissim E-  
 lectoris Friderici Testamentum vobis opponi nō pos-  
 sit, nisi Veteris & Novi Testamenti Symphonia quem-  
 admodum in Disputatione de Eucharistia à D. Docto-  
 re Grynco factum est, vobiscum certare mallemus. Sed  
 de primo satis: Dictum enim sapientibus sat est.

Alterum, quod te, clarissime D. Iacobe, macerat,  
 vt in Epistola tua dedicatoria, & in grandium tuorum  
 commentariorum conclusione prætefers, est, frequēs,  
 quam Bebenhusij intersylvas tibi imaginaris, Religio  
 nis in Palatinatu mutatio & ea deformitas, quam secu-  
 turam putas, si remotis Bergensibus vestris pigmentis,  
 confessionem Augustanam, iuxta orthodoxum sen-  
 sum, amplectamur: in primis rem acerbam, ab omni-  
 bus deflendam, & ad quam impediendam, tanquam  
 ad commune incendium concurrentum putas, illud

B esse

Quo Testa-  
mento ni-  
tanter D.  
Iacobus &  
D. Lucas

Consolatio  
contra alte-  
ram per-  
turbatio-  
nem D. Ia-  
cobi & D.  
Lucas

*Iunior p[re]m  
150 q[ua]nd.*

esse commémoras, quòd iunior Princeps Electoralis, Palatinatus hæres, tuos vicarios nō amplius audit, sed ad orthodoxorum, quib[us] tu hactenus bellum indixisti, cōciones deducitur. Grauis est illa, D. Iacobe & D. Lücatentatio; sed cui succūbere nec debetis, nec potestis, si animum aduertere, & sepositis turbidis affectibus, rem, vt sese habet, expendere volueritis. Nam demus illud tibi, his annis viginti sex aut viginti septem bis, nas aut ternas mutationes publicas Religionis, vt eas, D. Iacobe, nominas, in Electorali Palatinatu numerari posse: an id quæso à Christo prædictum non fuit

*Mutatio-  
nes Vbi-  
tariorum  
prædicta.* Matth. 24. Erit oppressio magna, qualis non fuit à principio mundi: Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut hic ne credite. Et surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & edent signa magna, & miracula, ita ut seducant, si fieri posset, etiam electos. Ecce prædicti vobis. Plangenda sunt hæc, nō mirāda, quæ Christus prædictit. Solius Athanasij tempore quot mutationes fuere? quoties ille in exilium actus, quoties re vocatus fuit? quanta vicissitudo rerū sub Constante, & Constantio? Valente, & Valentino? Item sub Honorio & Arcadio? nec non sub Theodosio secundo? Constantium seduxit quidā presbyter, Testamenti paterni custos: planè talis, quales hodie Testamentorum Principum custodes esse vultis. Reliquos Imperatores Gynæcea, & in his gratiis Arriani, & alij irrequeti homines, cōtra orthodoxos inflammarunt: ita ut iam exulta ēt pij Episcopi: Paulò post, Dominō Deo Ecclesiæ clementer respiciente, Ecclesijs suis restituerētur. Mutationes in Ducatu Virtenbergo quatuor numerari possunt. Initio obtinebat Papatus: Huic successit reformatio per Bucerum, Ambrosium Blarerum, & alios, quos iracunde Zwinglia-

*Mutatio-  
nes in Du-  
catu Vir-  
tebergico.*

NOS(GD) Erhardum Schnepfium excipias) nominatis,  
instituta. Illis successerunt moderati & placidi Luthe-  
rani, qui Augustanā confessionē & Apologiā absq; fer-  
mento Vbiquitario profitebantur, & Philippum pro  
Præceptore agnoscebāt, eumq; cōtra maleuolos etiā  
anno &c. 57. VVormatiæ defendebāt. Quartò emersit  
& erupit furialis Vbiquitas, quæ voshodie nō secus, ac  
Circe olim socios Vlyssis, in immanes belluas cōmu-  
tasse videtur. Ceterū in cōmitatu Mompelgardēsi, dum  
eius cōtutores fuistis quot mutationes, quot nouæ for-  
mulæ, quotiescūq; vobis animi gratia eò exspatiari lu-  
bebat, ad vina Burgūdica degustāda, importatæ, & mi-  
nistris obtrusaæ fuerūt? Nā cū ille Comitat⁹ ab illustris  
simo Principe Ulrico, à superstitionib. Pontificijs re-  
purgatus, suā haberet à Bucero, Simone Gryneo, Ambroſio  
Blarerо & Petro Toffano, constitutā piam, & ad populi il-  
lius captū accommodatā Agendam, vos rerū Domini,  
iam vestrā Agendā: iam eius particulas quasdā: iam arti-  
culos Cōcordiæ Lutheri & Buceri: demū Pandoram ve-  
strā Bergensem, subscribendā, proposuistis: detrectātes  
remouistis, & exautorastis. In Saxonia (vt de Flaccianis  
olim explosis, & per te in gratiā reductis nihil dicam⁹)  
anno 70. D. Iacobe, formulā Concordiæ præscripsiſti,  
quā clarissimus vir D. Heshusius à formula vestrā Bergēsi  
non minus descrepare, publico & edito scripto affue-  
rauit, quā lucem à tenebris: Ibidem anno 74. articulī  
Torgæ scripti, & nomine Cōfessionis editi sunt in qui-  
bus vestrā Vbiquitas explodebatur: quod tu ægrè ferēs,  
D. Iacobe, eò statim conuolasti, nec quieuisti, donec  
V E I Q V I T A S, quæ te tota Europa, clarū reddit in for-  
mulam vestræ Concordiæ irreperet, & canonizaretur.  
Quid, D. Iacobe, quod tibi publico scripto, nimirū in  
Apologia anno 81, edita pag. 389. obiecerūt Anhaldini

Mutatio-  
nes in Co-  
mitatu  
Mombel-  
gardenſi.

Mutatio-  
nes in SAXA-  
nia.

D. Iacob⁹  
Andrea  
mutatio-  
nes.

Theologi viri doctissimi , se ex tuis autographis demon-  
strare posse , te octidui spatio ter tuam de controvërsis ca-  
pitibus fidem & confessionem mutasse ? Non est igitur , mi-  
D.Iacobe , cur tu , homo mutationibus doctrinæ , loco-  
rum , morum , ab annis tringinta assuetus , tuum animu-  
lum sic crucies , aut tibi cor tuum palpitet , propter eas ,  
quas in Bebenhusiano clauistro M O R A N S , te videre pü-  
tas mutationes Religionis in Electorali Palatinatu . E-  
sto bono animo , mi D. Doctor , & si tantu tibi à pertur-  
bationibus , quæ te exagitant , vacat , Palatinatus statum  
rectius considera , & animaduertes , nullam Religionis  
*Religione non mutari in Palatinatu.*  
mutationem à nobis importari . Nam neque nouos fi-  
dei articulos , neque nouum decalogum , neque nouos  
cultus , aut nouam iuuocandi Dei rationem obtrudi-  
mus . Tenemus & retinemus , iuxta D. Augustini consi-  
lium , libro de vera Religione , Christianam religionē ,  
& eius Ecclesiæ communicationem , nō quæ schisma-  
tica est , vel Iacob Andreana , vel Flacciana , aut si quæ  
alia sunt hominum nomina : sed quæ catholica est &  
Euangelica , & articulorum fidei sensum non ex pole-  
micis & pugnantibus Lutheri scriptis , sed ex orthodo-  
xo Ecclesiæ consensu eruit . Nostram fidem & prædica-  
tionem de Christo , vt Irenæi verbis vtamur lib.1.cap.3.  
Ecclesia licet toto mundo dispersa diligenter seruat :  
licet dissimilia sint in mundo genera linguarum : nec  
Ecclesiæ in Germania ( si vos Vbiquitarios doctores  
excipias ) aliter credunt , nec quæ in Hispanijs , nec quæ  
in Gallijs , nec quæ in Oriente sunt , &c.

*Varicias Agendorum in Germania.*  
Agendas habent , vt scitis , singuli Germaniæ Prin-  
cipes proprias : nec ideò diuersæ religionis censemur .  
Ludouicus Elector abdicato Brentij Catechismo , Lu-  
theri Catechesin Agenda suæ inseruit . Nos Cateche-  
sin

si ex ipsis locis scripturæ methodicè inculcare malum; ne vel in Brentium vel in Lutherum baptizati videamur, aut eos Catecheses Christianæ, quam ab Apostolis accepimus autores faciamus. Nos Examen ordinandorum Philippi, Agendae Ludouici Electoris insertum, quod tu, D. Iacobe, (ut meministi) expunximus aliquot annos volebas, retinemus: & cum Augustana confessione & Apologia in sensu orthodoxo Euangelico, sicut decet, omnibus ad ministeria Ecclesiastica ordinatis commendamus: Ipsam Ludouici Electoris Agendam Ministris Lutheranis pacificis liberam haec tenus reliquimus. Nulla mutatio religionis fit, nisi Religionem in calumnijs & phantasmatibus Vbiquitatio collocetis. Illa enim sola iam exulare iubet illustrissimus Princeps, Electoratus administrator, cui nulla planè mutatio instituenda fuisset, nisi vestri homines, Rhenanorum vinorum plus, quam gloriae Dei sientes, hoc septennio in Ecclesias bene & feliciter ab Electore Friderico III. Pio & æternæ laudatissimæq; memorie Principe constitutas, sece intrudentes, & pios, legitimosq; pastores, indicta causa, arcetes fermentum illud calumniarum & prodigijs Vbiquitatis aduexisse. Sed næ tu, mi D. Iacobe, nimis iracundè in Bebenhusiano claustro scripsisti (quod procul dubio ATER GENIVS tibi suggestit) laudatissimum illum Principem Electorem Fridericum incorruptam, & ad normâ verbi diuini sub Ottone Henrico constitutam formam mutasse: & quod tu, tanquam commemorabile figmentū maiusculis literis expressisti, ZVVINGIANAM OMNIVM ORDINVM Imperij iudicio damnatam religionem introduxisse, Hæc cum legeremus, D. Iacobe, venit nobis statim in mentem illud Plato-

Quomodo  
D. Iacobus  
definit  
Religionem.

Iracundia  
D. Iacobi  
in Electro-  
rem Fride-  
ricum III.  
Pium.

nis: av[er]g[er]ia[re]s[us] ζωον ἐπιέγημα: Morosa arrogantis con-  
sors est solitudo. Id igitur damus solitudini Bebenhusa-  
næ, & perturbationi animi: cum, iuxta Minum vulga-  
tum: *Animus ager semper erret.* Nam si quando animo  
fueris tranquillore, & repetas anni sexagesimi memo-  
riam, quo tempore Naumburgi pius ille Elector cum  
alijs Principibus, & ordinibus Imperij primarijs reco-  
gnitæ Augustanæ cōfessioni subscripsit; si ante oculos  
posueris fortissimum illū & animosissimū Principem,  
astate filio illustrissimo Duce Iohanne Casimiro,  
Augustæ anno 66. coram Ordinib. Euangelicis exver-  
bo Dei, & Augustana confessione Ecclesiarum suarum  
doctrinam demonstrare paratū: silentibus & attonitis  
omnib. ordinibus: confusis autē tuis, D. Iacobœ frater-  
culis: si recordatus fueris eius diei, qua ante annos plus  
minus nouē, tu solus, nobile quodā viro stipatus, trepi-  
dè Heidelbergam venisti, nec tuum aduentum vlli vel  
consiliario, vel Theologo innotescere voluisti, & Elec-  
torem fraudulenta oratione circuuenire decreueras,  
ille tamen, summū scilicet ipsius Celsitudinis ami-  
cum, pro sua incomparabili clementia in conclave su-  
um ad colloquium admitteret, sed tanquam vetera-  
torem statim ad tuos rursus alegaret: haudquaquam  
huiusmodi tetram popinam in piissimi Electoris ma-  
nes in posterum exhalabis. Viuit & viuet in piorum o-  
mnium cordibus cum dulci recordatione sancti illius  
Electoris memoria.

*Vtq[ue] viret semper laurus, nec fronde caduca  
Carpitur: aeternum sic habet ille decus.  
Quod enim Otto Heinricus, qui nō multis mensib.  
vltrā biennium imperauit, proposuerat quidē, sed per-  
ficere nō potuit, vt Palatinatus ab omnibus Pontificijs  
super-*

superstitionibus repurgaretur: id heroico animo, & hortante ipso Michaeli Dillero, Ottonis Henrici cionatore aulico, venerando sene, feliciter peregit, & *αρχαρείας* fulcra omnia remouit laudatissimus ille Princeps Fridericus tertius. Vigebit etiam & immota manebit sancta & orthodoxa ipsius Confessio, quæ omnium piorum manib. inter omnes Europæ populos teritur, in qua placidissimè in Christo obdormiuit. Et reuiuiscit indies, ac efflorescit præclara, quam instituerat, reformatio, quam vos filij terræ & tenebrarū seperare, & tenebris perpetuis obruere toto hoc septennio conati estis. Nec ullum hæc emendatio vel Friderici pij, vel Principis Casimir Administratores, offendit, præter eos, qui religionem omnem in procacibus declamationibus, in altaribus, rotundis hostijs, choreis, contemtu disciplinæ Ecclesiasticæ, & Evangelicorum orthodoxorum condēnationib. collocat, & loco

*Quosnam  
offendat  
Reforma-  
tio Casimi-  
riana.*

AUGUSTANAE CONFESSIONIS RECOGNITAE, ET AB OMNIBVS ORDINIBVS IMPERII, ET TOTA CATHOLICA EVANGELICA ECCLESIA APPROBATAE: NORMAM BERGENSEM, QVAM PRO IDOLO A TE FABRICATO MAXIMA CATHOLICÆ ECCLESIAE PARS HABET, AMPLECTVNTVR. Et fateris tu quidem, Luca Osiander, in lerido tuo scripto postremo, pag. 32. multum diuq; Electori Palatino Ludouico diffusam fuisse equi illius Troiani receptionem, id est, Normæ Bergensis subscriptione, & multos scrupulos illi diu obstitisse, donec illi visfieret, & NB CES. SARIO ac sine INTERMISSIONE, vt scribis, liber ille publicandus esset: tunc hoc ab eius Celsitudine fuisse postulatum, vt saltem NOMEN SVVM IN LIBRO LIBRO ESSE pateretur. Egregiam verò rationem, siue quis ita sentiat, siue non sentiat, siue scrupulos

pulos habeat, siue non habeat, saltem suum Nomen  
 alicui scripto adscribi patiatur, sicut in Emblematis  
 Alciati, & ijs libris, in quibus in amicorum gratia no-  
 mina nostra honnunquā adscribimus, fieri solet. O ir-  
 refragabile argumentum consensus Electoris, quod  
 multis & frequentibus & importunis legationibus, &  
 fallacibus orationibus ab eo extorsistis, vt nomen su-  
 um in vestris Emblematis Bergensibus esse pateretur.  
 Nam quidquid in nostros durius vel dixit, vel statuit,  
 eodem modo id fecisse nempe à vobis irquietis ho-  
 minibus instigatum, multis argumentis inquietis com-  
 pertum habemus. Et tu certè, Osiander, tāquam opti-  
 mè tibi conscientius, quomodo vestros Principes tracte-  
 sis, pag. 67. venustè & verè, vestri respectu, scribis, p. 75 se-  
 pe Principibus accidere, ut ab insidis consiliariis persuadean-  
 tur, ut sua subscriptione & sigillo suo ea confirmant, quorum  
 postea, re melius expensa, eos pudeat, & péniteat, quod non  
 nullis ex subscriptoribus libri Bergensis accidisse certò  
 scimus; quemadmodum etiam non dubitamus, quin  
 tuus ipse Princeps illustrissimus, si te & alia flabella hu-  
 iusmodi non haberet, nostris æquior esset futurus, &  
 statim deprehensurus, vos non Christi, sed vestram ma-  
 iestatē querere, & hæc dissidia studio alere, vt in aqua  
 turbida piscari possitis. Et nos quidem familiariter vos  
 monemus, vt modestius de vobis sentiat, & mitius de  
 alijs loquamini, nec ita arroganter & peruicaciter  
 Principes inter se committere studeatis: quibus si De-  
 us semel oculos aperuerit, vt videant, quantas pestes  
 alant, & quam pretiosa, & constans magno ipsiis fuerit  
 vestra imaginaria V. B. I. Q. V. I. T. A. S., periculū est, ne Achि-  
 tophelis & Semei poena afficiamini, aut idē vobis duo-  
 bus, tibi, inquam, D. Iacobe, & tibi, D. Luca euueniat,  
 quod

*Note.*

*colorum*

quod Iustiniani secūdi, filij Constantini Barbatī duobus aulicis Sycophātis, qui Imperatori, & sibi, vt histōriæ testantur, magnarum calamitatū autores fuerunt.

Sed si boni viri estis, meliora de vobis speramus (*cuius quippe hominis est errare, nullius nisi insipientis, in errore perseverare*) Et vt irritabiles sēpe sunt optimorum animi: sic ijdem solent esse placabiles: quem placabilem animum vereq; poenitētem vt vobis Deus largiat, ex animo precamur.

Valde autem nos illa pars vestrorum scriptorum ad cōmiserationem vestri inflexit, & vobis curas istas de Palatinatu, iudicium & mentis vires labefactasse ostēdit: quōd ex Pasquillis Heidelbergensibus & somnijs aliquot ganeonibus procul dubio inter pocula cōfictis, alijsq; anilibus fabulis vultis colligere, indignis, indoctis & planè insulsiis viris Ecclesias Palatinatus cōmitti, & ideo Illustrissimum Principem diligenter de his rebus admonendum, ne quid Respublica in Palatinatu detrimenti capiat. Si illis Pasquillis & nouitatis audiendis tantū, aut Bebenhusij, quando cum reverendo Abbe comeſsamini, recitandis, tempus tribueritis, effet vt cunque tolerabile: quanquam sapientes nec dicere, nec admittere, aut audire calumnias decet: Sed quōd illa spargere in vulgus, affeuerare & pro apodicticis argumentis vestræ contra Zwinglianos & Caluinianos, id est, contra catholicos Euangelicos, victoriæ & bonæ causæ, adferre non dubitatis; id certè indicium est tantæ imbecillitatis cerebri, vt si pergetis, non solum ab omnibus tutelis vos sit Magistratus prohibiturus: sed etiam ad agnatos, gentiles aut curatores amandaturus. Et mirum est, certumque ruinosæ causæ indicium, quōd quatuor fundamentis

*Quintum  
fundan en  
tum D. Ia-  
cobi, & D.  
Luca Pas-  
quillls & ls,  
belli famo-  
se.*

Lutheri contentio non estis, nisi quintum accessatis: vi-  
delicet Pasquillos, Heidelbergæ & calibi ab hominibus  
proteruis, & iuxta Leges, vel carcere vel flagris castigā-  
dis, conscriptos: & ad vos, quibus talia sunt in delitijs  
transmissos. Sic enim tu, D. Iacobæ, contra D. Gryn-  
um colligis: infeliciter eum Heidelbergæ de Eucharis-  
tia disputasse: qui auditorum testimonio, conuictus  
sit. Testimonium autem profers Pasquillum n. Aprilis  
noctu ad valvas contubernij affixum contra Grynaū:  
Ergo sequitur, apodicticè, scilicet, cum causa cecidi-  
se. Et per consequens: vos bonam causam contra Cal-  
uinianos defendere. Si eiusmodi fundamentis, D. Iaco-  
be, delectaris, alios etiam Pasquillos tibi recensere pos-  
semus, qui contra illum quendam virum, & con-  
tra nos ministros tota hac hyeme iam à stolido quo-  
dam versificatore, iam Germanicè à quibusdam ve-  
striis asseclis, vini simul & sanguinis nostri inexplibili si-  
ti ardentibus, ad templorum, ad cedum nostrarum val-  
uas & ianuas affixi fuerunt. Quisnam fuerit totius Dis-  
putationis progressus & exitus, ex Germanico scri-  
pto, ex ipsis actis desumpto, & in lucem iussu Magistra-  
tus nuper edito, verius, quam ex Pasquillis, D. Iacobæ,  
cognoscere: Quod nisi talis esses, propter Melancholi-  
am, in quam Bebenhusij incidisti, vt actionem in te vix-  
daturus sit prætor: vel lege Rhemmia in calumniato-  
res vel lege de famosis libellis, in te ageretur, vt hoc sal-  
tem tibi iniungeretur, vt nomina ederes eorum, qui  
Bebenhusium Pasquillos illos tibi miserunt. Tu vero,  
D. Luca, Iacobi Andree simia, vir, vt appareat extua illa  
postrema Ablegatione (quam Germanicè vocas 2<sup>te</sup>  
fertigung) facete: dic nobis, quæso, vnde Pasquillum  
illum habeas, siue distichum ad conclauem, vt scribis,

Ilu-

*Edita germanin  
Tubingi 1584*

Illustrissimi Principis Iohannis Casimiri,  
Electoratus Administratoris, & ad templorum valvas  
affixum:

O Casimire potens, seruos expelle Lutheri,  
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.

Id si maximè factum esset: à vestro aliquo emissario, ad inuidiam nobis creandam factum proculdubio esset. Sed nec Illustrissimus Princeps, nec cubicularij, nec Medici, nec Secretarij, nec alij, qui in conclave quotidie intromittuntur, distichum illud ad ianuas vide runt: nec viderunt in vrbe æditi, nec credent à nobis factum nisi amentes & furiosi, qui omnes alias sibi similes esse putant: cum sciant omnes boni, sciat is vos ipsi nostros homines cum lacrymis pacem & amicitiam cum Lutherò, eandem nos cum vestris fraterculis, quos indomita calumniandi libido hinc eiecit, quæsiuisse, & si per dura eorum corda licuisset, cole re, quantum fieri potuisset, voluisse. Verùm heus D. Iacobè & D. Luca; non sufficiebat vobis quintum fundamentum ex Pasquillis petitum, nisi accederet sextum, ex fabulosis & conflictis narrationibus, quibus si moerorem vestrum lenire & abstergere vultis, parum sapere videmini. Quid enim (inquit David Psalmo 120) tibi dabit, aut quid apponet lingua fraudulenta? Quia autem narrationes tuæ nominatim, D. Luca, iocosæ sunt (ne dicam scurriles) & vt verisimile est, in au la, inter prandendum aut coenandum, tibi à festi uis tuis assentatoribus recitatæ, illas primò enumera bimus.

*Sextum  
fundamentum  
D. Iacobè & D.  
Luca: Fabio  
lo'se narra  
tiones.*

*Nomencla  
tura fabu  
larum. O  
strandicae  
rum.* Monuit nos quidam vir ingeniosus, sc postremum illud tuum scriptum legentem, diu miratum, cur tu viralioqui confidens, in tuis facetis narrationibus non sis ausus nomina vrbium, pagorum, & personarum, quarum facis mentionem, apponere sed ter aut quater in scripto tuo nefasto literis & characterib. iam S. iam T. iam D. vtaris: reliqua lectoribus diuinanda relinquentis: donec recordatus est clarissimum Astrologum TURNEISERVM, qui fortasse tibi est familiaris, in suis Turneiseri fastis idem haclenus factitasse.

*Osiander  
Tunc ser  
mitator.* NARRATIO prima magis fabulosa, quam vlla sit 1. Aesopica fabula, est, quod narras, Osiander, ante annos octo, Caluinianum quendam in Palatinatu concionatorem Cænam Domini (ju. L.) administrantem, adhibuisse lagenam vni, & ex ea vinum propinantem dixisse: Exhaurite bonum haustum: placentam autem, quæ impressa haberet Palatinatus insignia, tam duram proposuisse, ut ab edentulo quodam senemandino potuerit, & cætera, quæ scurriliter narras, & te tuumque ministerium ludibrio vniuerso Palatinati & in primis magistrati nostro exponent, donec loci & ministri illius nomen indicaris. Nam id & cætera, quæ ex tuo scripto recensebimus, mendacia esse, à scurris conficta scimus. Similium scurrilitatum satis habetis in sermonibus conuiualibus Lutheri, vt has excogitare non fuerit opus. Quæ de Antuerpianis narras, nihil ad nos pertinent. nec Pastorem tuum in S. nouimus: sed verisimile est te eadem fide Antuerpiana referre, qua Palatina refers.

*Pag. 28.* 2. Altera fabula est, de mangonibus, sutoribus, sartoribus, militibus, aromatarijs, asellorum arefactorum (quos t. v. Stockfisch vocas) venditoribus, ad ministeria Ecclesiastica sub initium reformationis à Friderico III. pio, Electore institutis.

*S*tituta vocatis: quanquam si quis forte olim tempore persecutionis in Belgio aut alibi, ne Ecclesijs grauis es- set, exemplo D. Pauli, opificium aliquod honestum exercuit: id vitio ei dari non potuit; & si qui paucitales fuerunt, pij alijs & docti, fuit id magis tolerabile, quam adulteros & ganeones, quales vos Reformatores ante sexenium in Palatinatum misistis, qui paulo post capit is supplicio multati sunt, ad ministeria Ecclesiastica adhibere.

Fabula tertia: *Aliquot Lutheranos ministros ante ali-* 3.  
*quo annos in Palatinatu sub ipso patibulo exautoratos fuisi-* Pag. 35.  
*se: quemadmodum & illud fabulosum est, quod narras,*  
*Osiander, de quodam ministro in D. qui intrà spatiū 4.*  
*quadratīs horæ excedere fit iussus: & cuius libri per fenestrā*  
*in plateam proiecti sint.*

Fabula quinta: *Ministrum aulicum T. ante hæc tempora* 5.  
*in nobili quodā gynecaō dixisse Lutheranus ministris omni-*  
*bus capita amputanda: & si Casar esset, se non aliter factu-*  
*rum. Desine, quæsumus te, Osiander, hominibus illu-*  
*dere, & in tenebris micare: Nam rursus tibi assueran-*  
*ter significamus, nullum esse Heidelbergæ ministrum,*  
*nec aulicum, nec urbanum, cui vel personum vel*  
*per se brim in mentem vñquam venerit, in Luthera-*  
*nos ministros esse sc̄iendū: & norunt Consiliarij o-*  
*mnes, qui Heidelbergæ sunt, & alij primariæ autorita-*  
*tis viri nullū esse ex nostro numero Ministrum, de quo-*  
*vñquam tale aliquid sit auditum. Sed recordamur il-*  
*lius Pindarici: οὐαὶ ναῦν γρίπαι τοῖς καυνοῖς: id ist, Accusa-*  
*tionibus & delationibus mali, vñquam obsonio, pascuntur.*  
*Cum tū igitur tibi proposuisses aliquid respondere, &*  
*nihil veri, nihil solidi adferre posses; oportuit te, Osi-*  
*ander, ad huiusmodi stolidas nugas confugere, quibus*

iracundum tuum scriptum infarcires. Præstabat teor-  
dine respondere ad tua illa signa & vestigia Antichri-  
stiani Spiritus, quæ tibi ostendimus in tuis actionibus  
& scriptis: quæ omnia non solum præteris, sed præ  
animi perturbatione nescis, ubi sis, quid agas, quid  
primò, quid secundò, quid tertio ponere debebas:  
iam ad Lutherum, iam ad Carlstadium, iam ad  
Schuuuenckfeldium exspatiaris, & quasi Melancho-  
lia te cæcum & surdum reddiderit, non vides, nec au-  
dis: quid nostri millies responderint de Carlstadio:  
quamq; multò solidius vobis Vbiquitarijs Schuuēck-  
feldij errores, quorum fundamentū (ipso Schuuuenck-  
feldio teste) defenditis, refutarint. Imò totus extra  
te positus miser, quod pagina octaua assuis, pagina  
decima negas: Doctrinam nimirum de (vestra scili-  
et fictitia) Maiestate Christi verum fundamentum  
esse ad Zuuingianos refutandos: paulò post scribis,  
vos nobiscum non propriè de illa maiestate conten-  
dere, an sit corpus Christi vbique: sed an sit in pane  
& in Ecclesia. Quorsum igitur vester modus Dex-  
træ Dei, iuxta quem modum æquè Dominus præsens  
est reprobis, & Diabolis ipsis, atque Ecclesiae? Sed &  
in Sessione ad dextram definienda, nos contra Chri-  
sti maiestatem furere clamas, quia eam ex D. Paulo  
ad Ephesios capite primo, non ex norma Bergensis  
aphorismis definimus. Et tu certè pagina decima non  
admodum malè ratiocinaris, nostram sententiam tan-  
tum à vestra distare, quantum cœlum à terra: Imò, mi Os-  
ander, tantum distat, quantum cœlum ab inferno:  
quia in vestro cœlo Infernum etiam collocatis. Istud  
porrò lepidum est, quod cum in nostris scriptis nihil

habes, quod iure carpere possis, pagina decima septima, es nobis autor, tu scilicet Doctor veritatis, ut mentiamur: & quod nullus ex nobis nec cogitauit, nec sentit, nec docuit vñquam doceamus & scribamus: In Cenâ Domini nihil nobis exhiberi prater Panem & vi-  
 num. Multa nos quidem, Osiander, in tui gratiam, ad morbum tuum sanandum, præstare vellemus: sed inofficium esset in gratiam etiam amicissimi hominis mentiri: & tu, si legisti libellum Ciceronis de Amicitia, vir alias parum amicabilis, primam san-  
 ciri hanc nostri in amicitia legem: ut neque rogemus  
 res turpes, nec faciamus rogati. Verum quæ hac est  
 nostra imprudentia, quòd virum Apostolicum redar. Osiander  
 guere præsumimus? qui pagina vicesima prima se & arrogas si-  
 Iacobum Andreae cum Petro & Iacobo, item cum Paulo & bi autori-  
 Barnaba comparat: & sua decreta suasque admonitio- tatem Apo-  
stolicam.  
 nes de Electoratum administratione, de latratus suorum canum contra mandatum Duci Cassimiri, cum decreto Apostolorum Ierosolymis in Synodo conscripto conferre non dubitat? Certè, mihi Osiander, ubi primum nobis probaueris, vos esse duos Apostolos nostri temporis, (in quibus tamen ha-  
 etenus non multum Spiritus Apostolici recognoui-  
 mus) & vestra decreta esse similia decretis Synodi Ie-  
 rosolymitanæ: statim adornabimus Palinodiæ, & inge-  
 nuè fatebimur, iniuriam vobis factam, quòd primatū  
 vos affectare, & Spiritu Antichristi duci scripsimus. I. Pag. 54.  
 Stud verò non est Apostolicum, quòd eos excusas, qui  
 contra Magistratus pia mandata feruidè, acriter & ira-  
 cundè declamarunt, qui precēs pro magistratu spon- Pag. 55.  
 te cōcipere noluerunt: quasi magistratus non seruiens  
 vestris affectib. vim & efficaciam precū Christianarum  
 sentire

sentire non possit: Apostolica non sunt, quæ supra ex  
 tuo scripto canino & Nimrodico recensuimus: Apo-  
 stolicum non est, quòd formulam Concordiæ Lutheri  
 & Buceri, contra tuam conscientiam, cum formula  
 Bergensi: Concordiam cum condemnationibus, lu-  
 cem cum tenebris conciliare studes: Apostolicum nō  
 est, quòd Principum pios, sapiētes, & moderatos con-  
 siliarios, qui fratrum Principum concordiam procu-  
 rant, odiosè & inuidiosè Caluinianos appellas: Apo-  
 stolicum non est, quòd in Synodo solus cum D. Iaco-  
 bo vis dominari, & orthodoxos Euangelicos, quorum  
 laboribus & scriptis destitutus vix ullam hæresin ex  
 fundamento refellere posse, vna cum Anabaptistis,  
 Arrianis, Dauidgeorgianis & alijs hæreticis (quos illi  
 omnium solidissimè confutarunt) annumeras: Apo-  
 stolicum non est, quòd Papam tuū Iacobum Andreæ,  
 in confutatione contra Grynaeum pag. 44. & 186. imi-  
 tatus, nostram de Cœna sententiam ab Anabaptistica  
 ideò nihil differre causaris, quòd nonnulli Anabapti-  
 stæ, vi veritatis pressi, aut simulatione quadam Franco-  
 thalij testati sunt, se nostram sententiam non impro-  
 bare, & malitiosè recitetis, quòd à nostris responsum  
 eis tunc fuit, vix esse verisimile, eos id ex animo loqui,  
 cum aliter haec tenus docuerint & senserint, & quotidie  
 doceant: ô bellas vestras Anabaptismi demonstra-  
 tiones.

Pag. 671.  
 Protocolli  
 Fracosthal.

Sed quid tibi, mi Osiander, cum Apostolico Spir-  
 tu commune esse potest, qui præ iracundia vix es  
 apud te, & in principio, medio & fine librituitam in-  
 fusa necis consequentias, vt nisi hoc tēpore in mor-  
 bo tibi parcendum esset, cum Ablegatione tua in An-  
 ticyram ablegandus esses? Statim enim ab initio sic ra-  
 tioci

tioinaris. Ministri Heidelbergenses defendunt contra  
 meum scriptum Mandatum sui principis: Ergo illius  
 Mandatis sunt autores: & canes, quos meo baculo per-  
 cussi. O verè caninum & Nimrodicum argumentum:  
 Quem quæso, Ministro Ministros in toto scripto ta-  
 xanti & perstringenti, potius respondere decuit, quām  
 Ministros? An tanta vel dementia vel arrogantia ani-  
 mum tuum occupauerat, vt Illustrissimum Principē  
 qui vos tenebriones cum vestris omnibus conuitijs  
 non pluris facit, quam palustres garrulas ranas, manum  
 calamo ad moturum, vel ex suis cancellis legationem  
 aliquam ad te placandum missurum existimatas? vel  
 ant tam es hebes, vt non animaduerteris, nos tibi, non,  
 sicut facis, fabulas aut somnia à nobis excogitata, sed  
 vera historias opposuisse, quas longè ante tuum scri-  
 ptum ex ipso tum Principis, tum consiliariorum ore,  
 exactis certis, & publicis compertas habebamus?

Eiusdē ingenij est illa tua collectio, Osiander; Cal-  
 uiniani, id est, orthodoxi, ab Augustana confessione in  
 articulo de Cœna, quatenus superstitionem Pontifi-  
 ciam redolebat, se sciunxerunt: Ergo nunquam verè  
 fuerunt Confessioni Augustanæ addicti. Sed non tibi  
 venit in mentē, quod nullies inculcavimus: Articulū,  
 illū viuo, & cōsentiente Luthero, fuisse emendatum:  
 id est nostros in orthodoxo sensu illi subscriptisse. De-  
 inde, vt maximè Augustæ nostri non subscripterint: s. b.  
 c. v. D O C E N T E S procul dubio in articulo 10. non  
 intelliguntur ij, qui repudiata Papistarum sententia  
 nobiscum credunt veram Christi præsentiam quam  
 Apologia ex Cyrillo definit, quæ est unionis capitum cum  
 membris, vitis cum palmitibus.

De Fide infantium, & Sacramentis, quæ contra tuas  
 D bellas

Nota

bellas obiectiones attulimus tum ex nostrorum scriptis, tum ex ipso Luthero, ita te torquent & constringunt, vt nec calumniæ notam effugere, nec illa vel refellere vel etiam eludere possis: vt ex pagina 52 postremi tui scripti apparet: & pagina 59, rursus egregiè pro tuo more concludis, *nos impudentes esse, quod Augustanam Confessionem apud vos parum valere, scripserrimus:* atque ita argumentaris: Augustana confessio adhuc existat, legitur, teritur in nostris Ecclesijs: Ergo illam magni facimus. Nos autem iam ante respondimus, non, sat esse, quod illam habetis, quando eam perdissequam facitis Dianæ Bergensis: & iuxta Normam Concordiæ Ubiquitariæ & Flaccianæ intelligi vultis: nec contenti estis, si quis Augustanæ Confessioni & Apologiae subscribat, nisi Concordia Bergensi simul nomen det.

*Pag. 59.  
De Iohann-  
ne Maria-  
no.*

Ceterum cum Iohannis Mariani, quem ipse prœnебulone & proditore agnoscis (licet, vt scis, concorditer vobiscum, Concordiæ Bergensi subscripterit, & ita frater vester sit factus) historiam attingis, Deus bone, quām es impeditus & perplexus: Facile enim intelligis, non illa, vt vulgo dicitur, ex digitis nos suxisse, & conscientios esse huius historiae Principes viros. Initio autem in margine annotas Lutheranos concionatores cum illo homine commercij nihil habuisse: paulò post non id simpliciter negas: sed suspicionem tantum à VVirtenbergicis, quorum tamen alumnus fuit, & in quorum gratiam Concordiæ yestræ subscripterit, remoues: sed illam Camarinam mouere vterius nolumus, vt alij, quos nosti, parcamus. Tandem sub finem scripti tui, D. Luca, pag. 65, paulò mitior factus, videris, dū nobis confirmas, te non esse in hac sententia, vt tanquam

*D. Ofian-  
di clemē-  
tia.*

quam Lupi interficiamur: sed non magnam, crede mihi, pro hac clementia tibi gratiam habebimus: quamdiu nos passim, ut in omnibus tuis scriptis & declamationibus facis tanquam pestiferos lupos traduces. Nam quomodo Lupi tractandi sint, id vulgus facile te-  
tacente, intelliget: & quotidiè experimur, eos, qui ve-  
stris concionibus imbuti sunt, magis immani odio nos  
prosequi, quam ipsos Pontificios: sicut etiam pag. 66.  
tacitè innuis, nisi Calviniani negotio Coloniensi se admiscu-  
issent feliciorē exitum exspectandū fuisse: quia procul du-  
bio maluistis patriā, Religionē, tractum illum Rheni  
in discrimen adducere, quam cum orthodoxis causam  
iustum adiuuare, quæ uobis peregrina, & aliena visa  
est, ubi subolfecistis, alios Augustanæ Confessionis  
Principes virtute quidem, experientia, & Zelo eximio  
præditos, sed ab Ubiquitate alienos illius causæ pa-  
tronciniū suscipere: Magis Ubiquitate, D. Osiander:  
sic creditur à te properè ac trepidè Studgardiam, relisto  
Archiepiscopo, & illis Ecclesijs, quæ hodie Luporum  
(si Pontificios illos Hispanicæ factionis pro Lupis ha-  
bes) lanienis obiectæ sunt. Sed nimis longè tua Able-  
gatio nos abduxit: Et fuerunt tamen hæc familiariter  
tibi indicanda, ut intelligas tibi cohibendam esse tu-  
am iracundiam contra Ministros Heidelbergenses, &  
benignius de ijs sentiendum & scribendum, ne que  
planè tam atros esse; quam assentatores tui tibi nar-  
rarent.

Te igitur relisto, Osiander, ne Melancholia tua instar  
Bidebachianæ exardescat, ad tereueremur, clarissime  
D. Iacobe, qui in tua Confutatione Osiandro lōge im-  
manior, si id pace tati viri dicere licet, instar bouis cor-  
nupetæ, siue petulci, obuios quoq; tuis cornibus petis,

D ij &

& contra Tertulliani regulam, veritatem ex personis,  
non personas ex veritate iudicare videris. Quæ de doctil-  
simo & optimo viro D. Iacobo Grynæo fabulatus es,  
qui non vltò, vt eum notas, sed legitimè, & ex sui ma-  
gistratus consensu, ab illustrissimo Principe Electora-  
rō, con-  
tra Administratore vocatus (licet id sine tuo & D. Lu-  
ca contutorum imaginiorum suffragio factum sit)  
tradicio-  
nes, degre-  
fiones.

*D. Iacobus  
Fabula, ex-  
corer, con-  
tra tradicio-  
nes, degre-  
fiones.*

*Iacobus  
Andrea-  
misis non  
satisfecit.*

Nec tu tamen  
nostro iudicio, grauissime Doctor Iacobe, amicorum  
tuorum exspectationi in hoc scripto respondisti, qui  
(vt scribis) solidam refutationem Disputationis Hei-  
delbergensis cui Heidelbergenses tui fraterculi pares nō  
fuerunt, exspectabant. Tu verò grande volumen & in-  
tegrum tomum coccymorum, conuitiorum, & fabu-  
larum conscripsisti, & flauam bilem, quæ Bebenhusij  
tota æstate te vexauit, in tuum scriptum effudisti: cu-  
ius certè scripti vix alias erit usus, quam vt presbyte-  
rist tuæ dioceseos nouam calumniandi materiam sup-  
peditet: tibi verò, qui grauitatem in abaco & crumena  
potius habes, quam in moribus, tres grandes pateras

*Iacobus  
Andrea  
succenset  
moderatis  
& pacificis  
viris.*

argenteas impetrat. Valde autem per totum scriptum  
succensis Politicis moderatis viris, qui malling vel in  
Synodo decidi, vel tandem Dei iudicio committi hāc  
diuturnam litem & cōtrouersiam. Cæterū in easen-  
tentia erat patertuus Brentius anno 58. in ea præfatio-  
ne, quæ libello tuo Eucharistico præfixit, & tu ante an-  
nos decem, in tua Ablegatione (vt lepidè loquimini  
Abfertigung) ad Tigurinos, præteferes, cū Zuuin-  
gianis nō amplius congregiendum, & eos Dei iudicio  
in poste-

in posterum committendos. Et tu quidem, Domine D. Luca, facile vides vos vestris immensis commentarijs parum proficere, cum, te ipso teste in postremo scripto, *Angulus nunc inueniri non posſit, in quo Calvinista non reperiatur: atque inde ingenioſe colligis, parum es ſetutum, hoc tempore conuocare liberam & generalem Euangelicorum Synodum. At inquies, D. Iacobus, hoc ipsum nos vrit, nec quiescere ſinit, quod Calvinum (id eft, orthodoxam de Sacramentis doctrinam) ita propagari videmus.* Credimus id quidem, mi Domine Doctor. Sed quid agas? Grauiter queritur in Apologis noctua, ob lucis & diei ortum, & cum ſole expoftulat. Carterum ei respondet sol; non ſuum opus, ſed oculos noctua culpandoſe. Me vero, inquies, habet poffimè, quod discipulus meus Doctor à me promotus, quem in verba Magistri iurasse putabam, Grynaus ille vester, à meis placitis ad orthodoxum cōſen-  
*De D. G.*  
*nato.*

Ciceronianos contemneres, reuocare mustibi in memoriā non inſcritam Ciceronis commonefactionem, qui ita olim ſcripsit: *Multi tenentur aſtriſti, antequam Cicero in quideſſet optimum, iudicare potuerint: deinde infirmiſſimo Acad.* reſpoſe etatis aut obſequiū amico cuidam, aut una alicuius, quem primò audierunt, oratione capti, de rebus ſaþe incogniti indicant. Quod dicunt, omnia ſe credere ei, quem iudicarunt fuſſe ſapientem, probarem, ſi minus docti & adhuc crudeliter iudicare potuiffent. Plerique autem errare malunt, quam sine pertinacia inquirere verum. Hactenus Cicero. Sed quid ſi de diſcipulo tuo D. Grynao tibi repondeamus, quid ſi de diſcipulo tuo D. Grynao tibi repondeamus, qui talēm eſſe diſcipulū, qualis fuit Dauid, qui Psalmon 19 ſic ſcribit: *PLVS SAPIO, QVAM II, QVI ME DOCENT: quia TESTIMONIA TUA meditatio mea*

D iij      sunt

Oſander  
queritur,  
nullum an  
gulum in  
ueniri, in  
quo non ſit  
Calvinista

funt. Nam egregiè tibi D. Iacobe, & tibi Ofiander verba dederunt, qui vobis persuaserunt, post Grynæi Disputationem extitisse Nobiles & ignobiles viros, qui cum antea Caluiniani fuissent, ut verbis vestris vtamur, post Disputationem palam professi sint, se ab illa doctrina sibi cauere velle. Nunquam Grynæus maiori in pretio fuit inter eos, qui Disputationi interfuerunt (exceptis paucis vestris mancipijs) quam post Disputationem: Nunquam Lectiones Theologicae tam frequentes fuere. Quod si palpum (quemadmodum tu D. Iacobe in Disputatione Vitudinensis fecisti. conductis duabus aut tribus assentatoribus, qui tibi vietas manus se deducisimularunt) in Heidelbergensi Disputatione quæsiuissimus: non deerant Ministri & alij, qui se ad amorem nostræ doctrinæ pertractos palam professi fuissent: sicut & quotidie non pauci Ministri voce & scripto testantur, se partim mala conscientia, partim à vestris emissarijs & legatis seductos, Concordiæ Bergensi subscripti sive: licet adhibitis exceptionibus, quas Dominatores illi alienæ fidei, ex vestro consilio, libro Concordia inseri noluerunt.

Valde autem grauissime D. Doctor Iacobe, nostui miseret, in ista præscritim æstate, quam, ut Cicero de Senectute scribit, quietum & mite dicendi & scribendi genus decet, quod tantopere, in media æstate sudasti, incongerendis tot maledictis contra D. Grynæum, Tigurinos & Caluinianos: dum Grynæum, Hypocritam, draconem infernalem, hominem VENTRI SERVIENTEM, & per BLANDILO QVENTIAM alios seducentem: Tigurinos, perpetuos Ecclesiaz perturbatores: Caluinianos, leuissimos homines, Epicuricos, Ariarianos, Nestorianos, Satanæ tradendos, carna-

lissimos Capernaitas, &c. vocas. Vno enim verbore  
spondent tibi omnes, quod Sophistæ cuidam respon-  
dit olim Diogenes, qui conquisitum multis futilibus ar-  
gumentis, probare conabatur Diogenem non esse ani-  
mal rationale:

*CONCLVDE DE TE, QVQD DE ME  
DIXISTI, & verum dixeris. Sed tu proculdubio, Re-  
uerende D. Doctor, in causis Testamentarijs totus  
nunc occupatus, non meministi, Ecclesiam Catholi-  
cam totis his viginti annis te admonuisse, nisi aliter  
agas & doceas, moribus te referre ARDELIONEM: do-  
cetripa, Eutychetem, & ipsum Nestorium: cum nullam  
aliam Dei & hominis in Christo vunionem agnoscas,  
quam eam, quæ Maiestatis, autoritatis, potestatis  
seu energiæ communicatione efficitur: Imò te Sa-  
bellio quoque patrocinari, si nouavia idiomaten v-  
nam personam constituat. Nam cum talis nouavia  
sit inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum seque-  
retur hos tres vnam esse personam. Denique con-  
queritur Ecclesia te cum Arrianis talem Deum con-  
stituere, qui sit creaturadum humanam naturam fa-  
cis omnipotentem, omnipræsentem, & ita Deum.*

Ceterum agit tibi gratias D. Grynæus pro illa tua  
increpatione, quæ est pagina centesima septagesi-  
ma septima, tua Confutationis: vbi eum redarguis,  
quòd in doctrina de CONTRADITIONIBVS non sit  
bene institutus. Habis enim, D. Iacobe, confitentem  
reum: Et hoc vnum tibi palmarium esse fatetur, quòd  
in contradictionibus ita es exercitatus, vt omnia tua  
scripta meras habeant contradictiones: quas tui qui-  
dem discipuli, qui iuxta vestra placita rationem o-  
mnem abiciunt, vix animaduertunt: sed nos ortho-  
doxi ratione vtentes statim deprehendimus. Interalia  
lepidum

Brenis re-  
sponsio ad  
omnia con-  
uitia D. te  
cobi.

Ecclesia b. n. id hinc

D. Andrea  
mores & no-  
vocabulo  
expressi.

D. Andre-  
as Nestori-  
anus.

D. Andre-  
as in con-  
tradictio-  
nibus exer-  
citatus.

PAG. 33

PAG. 128.

PAG. 212.

*Cōfondit̄s  
Graudis.*

Iepidum est, quod Grynaum Philosophie ignarum, in Pdagogium relegandum pronuncias, tu vir ipso Scheggio (quem eodem loco, quo Grynaum, habes) in Philosophia, tuo iudicio superior. Alibia autem in tuo scripto ingenuè profiteris ERUDITOS ET INGENIOSOS Calvinianum dogma pra alijs amplecti. Item pag. 191. Doctrinā Zuuingianam esse pro ingeniosis pag. 194. Grynaum perpetuo inculcare ERUDITIONEM: quasi dicas, plerisque tuos asseclas esse homines eruditio[n]is & ingenij expertes: sicut & pag. 323. in Philosophiam strenue inucheris.

Aliud exemplum insigne tuarum contradictionum est, quod pag. 162. vos canere ait cum Antiquitate, C R PVS IN PANE esse: sed non Physicè, non localiter, sed in MYSTERIO, quod CREDITVR, non intelligitur. Interim passim doces, esse eo loco, quo est panis: esse CORPORALITER, & ut Lutherus scripsit: SIC VT IN CRUCE PENDEBAT & pag. 199. ratiocinaris VERBA CHRISTI ideò SVDEM esse in oculis nostris: quod in distributione Elementorum nonnulli, sicut hodie adhuc Argentinenses, his aut similibus verbis vtuntur: FIDES in Christi corpus, cibet te ad vitam eternam: ita nimirum tibi in hoc mysterio FIDES foetet.

Pag. 95. affirmas Lutheranos & vos Vbiquitarios semper docuisse, Corpus Christi SPIRITALITER, id est, VIRTUTE spiritus adesse in Coena: Alibi vultis VIRTUTE VERBORVM: nonnunquam VIRTUTE DEXTRÆ Dei adesse.

D. Iacobus igni infernali scis psum adiu dicat. Pag. 40 & 41. Regiam viam ad dijudicandas controversias esse assertis RETINERE SCRIPTVM: cum verba fallere non possint: & pag. 343. Igni infernalieos adiudicas, qui verba Christi non iuxta p[ro]p[ter]e intelligunt. Cae

Canetibi, mi D. Iacobe, ab illo igne: cum verba Christi non retineas, sed ea potius his Præpositionibus IN, S V B, C V M, inuertere soleas: & loco eius sensus, quem verba Christi affrerunt, hunc sensum inferas: Aliquid inuisibile in pane est corpus inuisibile, incircumscripum, omnipotens, omnipræsens, sedens ad dextram Dei Patris &c.

Deinde si tua Regula Bebenhusiana de retinēdo N O N  
 S E N S V S E D S C R I P T O valet, & dimidiā victoria par- Regula Be  
benhusia-  
nus.  
 tem, vt pag. 40. scribis, obtinent, qui seruant ḡντον: Deus  
 bone, quantam gratiam inibis apud Arrianos: cum his  
 verbis, Pater maior me est: & apud Anabaptistas, &  
 apud Capernaitas: & apud Nicodemum, quem Christus non fallebat, cum diceret denuò nascendum: inter-  
 rim iuxta τὸ ἡγέρον sibi rursus in matris ventrem ingredi-  
 endum imaginabatur. Viden' D. Iacobe, te commis-  
 ratione dignum, & verum tibi prædixisse Gregorium  
 de Valentia, varias nimirum tuas peregrinationes Vbi-  
 quitatis ergo susceptas, facere, vt sæpe peregrinetur  
 mens tua, & à veritate aberret.

Et quām hoc est, Reuerende D. Doctor profanum, Exo. 12, 276  
D. Iacobus  
atrum ge-  
nium facie  
Scriptura  
autorem.  
 quōd locum Scripturæ Exod. 12. Hoc sacrificium est  
 PHAS a Iehoua, ab ATR O GENIO Zuuinglio dictatum,  
 toties inculcas. Est ne ATRI GENII ille locus? Non  
 agnoscis Spiritum sanctum eius esse autorem? Quōd si  
 modestè de somnio suo loquutus est Zuuinglius, nec  
 sibi statim PROPHETAE titulum, vt vos soletis, arroga-  
 revoluit, an ideo locus ille Scripturæ ad rem Sacramē-  
 tariam maximè pertinēs, in odiū vocandus fuit? Cum  
 igitur falsos doctores Satanæ tradendos clamas, non  
 animaduertis te contra te ipsum ferrenterentiam, qui  
 atros & albos genios, polemica Lutheri cum didacti-

cis, Antiquitatem cum tuis nouitatibus, ORALEM  
 Mäducationem eiusdem corporis cum FIDBI perce-  
 ptione, quam Canon Nicenus tradit conciliare stu-  
 des: Eleuationem Papisticam Sacramenti, quæ siebat  
 in Sacrificijs, indifferentem facis: Sacraenta, Rege-  
 nerationem & ita Iustificationem conferre scribis:  
 Illa nec ad prædicamentum Relationis, nec propriè  
 ad prædieamentum Actionis pertinere; Analogiam  
 signi & signati pag. 240. nugas esse, asseueras. Sed vi-  
 demus, Iacobœ, quis tuus sit sensus: quæ tua ratiocina-  
 tio; hæc videlicet: Si argumentis Caluinianos superare  
 nō possis: te saltē calumnijs & mendacijs, ad quæ, proh  
 dolor, multi nimis patulas aures habent, in odium vo-  
 caturum. Ideo subinde in tuo scripto ad personalia ex-  
 curris, & quod Lutheranæ doctrinæ Pontificij olim  
 ascripserunt, eorum doctrinam tumultus Rusticorū,  
 belli Protestantij occasionē dedisse: tu miseris Belgis  
 & Gallis, quasi à tyrannis non satis premantur, nisi eis  
 Bebenhusij in vaporario tuo insultes: amarulentis ver-  
 bis obijcis: nec vides te hodie facem esse omnium dissi-  
 diorum, si quæ sunt in Germania, etiā inter Principes,  
 quos tuis seditionis & ignē atq; minas spirantib. scriptis  
 cōmittere inter se conaris: quas tuas molitiones, quia  
 sapientissimi Jurisconsulti, & Principum & Rerumpub.  
 consiliarij doctissimi deprehendunt & improbant, eis  
 palam bellum indicis, & in singulis ferè paginis eos in-  
 sectaris & perstringis. Verūm ne in Melancholiam Bi-  
 denbachianam & Bebenhusianam incidas: illis omissis  
 reuertimur ad fabulas tuas, in quibus non parum præ-  
 sidij reponis.

*Nota de  
Gryndkno*

Non satis tibi fuit Grynæum virum doctissimum,  
 humanissimum, religiosissimum laceffere, nisi alios  
 etiam

etiam Illustrissimi Principis JOHANNIS CASIMIRI, tum Ministros, tum Politicos Confiliarios, qui luminibus tuis & imaginario tuo Exarchatui officiunt, cornibus tuis ferires. Pagina igitur 54. linguam tuā male dicam vibras contra *Danielem Toffanum*, quem non minus quam *Gryneum* peruersum, imò impudentia & malitia (vt in huiusmodi encomijs liberalis es) longe superiorem esse affirmas: de quo tuo iudicio mirè gloriatur. Nam meminit idem de se sensisse ante annos 18. aut viginti, Monachos & alios Baaliticos sacerdotes Aureliae in Gallijs. Idem Epicureos multos & hæreticos, quos circiter 24. annis docendo, ex Dei verbo reprehendit: & cum nulli orthodoxo Theologo, nulli pio Iurisconsulto, Medico, Philosopho, in tuo maledico scripto pepercenis, magni honoris loco habet, quod statim ferè à principio libri tui cum tali testimonio ornaris: præsertim cùm tam bellas adferas demonstrationes, quæ partim nugis partim falsis & ineptis consequentijs nituntur. Ut enim vera essent, quæ narras, qualis est quæso, D. Iacobe, hæc collectio: *Toffanus* professus est, se cum D. Iacobo & M. Bindero ipsius comite, & eiusdem confessionis socio non sentire, eisque post longum colloquium de Augustana confessione dixit: sicut memoras D. Andrea:

FATBOR ME VOBISCVM MINIME SEN-TIRE: Ergo ab Augustana confessione dissentit *Toffanus*. Quam multi hodie in Germania, etiam ex primis illis Augustanae Confessionis socijs, *Hassia An-haldinia, Noricis*, à te dissentunt, qui Augustanae Confessi sunt addictissimi? à qua tam turpiter tu defecisti, vt autorem & defensorem eius perpetuum, mortuum subinde conspuas, nec conquieueris, donec

*D. Danie-le Toffano.*

E ij nouam

nouam Normam doctrinæ cuderet. Ast tu, mi D.Iaco-  
be, paucis quidem verbis, sed magno conatu magnas  
nugas de Toffano dixisti, quarum te Senatus Ecclesia-  
sticus Studgardianus, amplissimi consiliarij Mombel-  
gardenses, nobilissimus vir Dominus VVilhelmus  
Crantzius, semper redarguent, & ad historias scriben-  
das (tua enim figmenta de Toffano vocas in margine  
Historiam de Danielis Toffani fide) incepitissimum esse  
iudicabunt. Ut enim, Domine Historice, illud præter-  
eamus, quod malè es informatus, dum Toffanum pu-  
tas hoc tempore esse alicum concionatorem Hei-  
delbergæ: statim in initio tuae Historiæ magnam facis  
injuriam nobilissimo & prudentissimo viro D.Crant-  
zio & clarissimis dominis consiliarijs Mombelgar-  
densibus, quod eos à Toffano, tanquam infantes & he-  
betis iudicij homines, diu deceptos fuisse affirmas, do-  
nec tu scilicet, vir sagacissimus, Mombelgardum veni-  
res: An Toffanus Religionem, fidem, & confessionem  
suam dissimularat, qui ab anno 62. vsq; ad annum 70.  
quo tempore Mombelgardum tunc venit, Aurelijs  
in Gallia Euangelium docuerat: qui anno 66. literis ad  
Senatum Ecclesiasticum Studgarianum datis, illas  
Ecclesiæ collaudarat, nec ab illis se abstrahi est passus,  
dum Ministerium ei exercere licuit: qui Mombelgar-  
dum anno 70. non ad conditionem ambiendam, sed  
ad parentem senio confectum, qui 36. annis illis Eccle-  
sijs cum laude præfuerat, visendum, & per anni circiter  
spatium subleuandum venerat: Et quid tu mi Iacobē,  
de illo tuo colloquio cum Toffano memoras? Satin'  
es apud te? Nō meministi igitur statim ab initio illius  
colloquij Toffanum ingenuè (vt semper) fassum, se  
Ecclesiarum Gallicarum cōfessioni subscripsisse: quæ  
tamen

tamen si doctrinæ substantiam & sensum orthodoxum  
 spectes, à Confessione Augustana , in qua neque ora-  
 lis manducatio impiorum , neque Vbiuitas tradun-  
 tur, non differat. Quid quòd illa ipsa die , qua collo-  
 quiū illud habitum fuit , Toffanus humanissimè à  
 nobilissimo illo viro D.Crantzio ad Cœnam in arcem  
 vocatus, & postea ipsi tam acceptus fuit, vt & Toffano  
 non semel scripserit, & tum Mombelgardi, tum Hei-  
 delbergæ, tum Neustadij eum benignè ad se vocārit,  
 & familiariter semper cum ipso sit collocutus. Ant tu,  
 D.Iacobe, sine fremitu eius diei recordari potes, qua  
 paulò post illud colloquium Daniel Toffanus à pa-  
 rente suo rogatus, & patre præsente, patris & Eccle-  
 sia Mombelgardensis causam, coram nobilissimo illo  
 viro D. Crantzio & omnibus consiliarijs, in arce ora-  
 tione Latina ita egit, & tua Manliana Imperia, tuam  
 que in Ecclesiis tyrannidem sic depinxit, vt tu fre-  
 mens & fremdens triduo pòst discederes: & tuum ira-  
 cundum supercilium toti consilio, ipsiq; Cancellario  
 viro clarissimo , ex cuius manu schedam tuam Apolo-  
 geticam eripiebas, ostenderes? Tu igitur bellus ho-  
 mo, qui iam ad nobilissimum illum virum, iam ad de-  
 mortuum Toffani patrem, quem tu plus quam septu-  
 agenarium ideo de ponte deiecisti, & Superintendentem  
 munere, quo plusquam 37. annis funētus erat, spo-  
 liasti, quòd tibi per omnia nō astipularetur, prouocas:  
 nec cogitas, superstites esse plerosque illius temporis  
 consiliarios, & tot ciues, qui semper, cum voles testa-  
 buntur, Danielem Toffanum non solum motus nul-  
 los vñquam excitasse, sed cum magno fructu & totius  
 civitatis & viciniæ ædificatione per anni spatiū Mom-  
 belgardi docuisse, & quotidie ibi à ciuib. optari, quod

E iij am.

amplissimi Consiliarij Mombelgardenses multis literis Studgardiā anno 70 scriptis) sicut te non fugit) testati sunt. Apage igitur, D. Iacobe, cum tuis historijs: & priusquā historias scribas, disce V E R A L O Q Y I & scribere, cū sine V E R I T A T E nulla sit laus historie: & teste Ho

ratiō: Scribendi recte s a p e r e est & principium & fons.

*De illustris  
simo principe Johanne  
Casimiro  
Oc.*

Hæc vbi didiceris, tunc cum maiore specie & laude monebis Illustrissimum Principem nostrum, quos Ministros Ecclesiæ, Doctores Scholæ; Præceptores Illustrissimo & optimæ spei Principi Friderico pupillo & nepoti, suæ fidei commendato, ipsiusq; Cellitudini filij instar caro, præficere debeat. Imò si saperes, mi Iacobe, fortissimū illum Principē collaudares, quod VETERIS ET NOVI TESTAMENTI ET VETERIS ORTHODOXAE Ecclesiæ incorruptā de Sacramentis doctrinā CONSTANTER ET SINCERE propagat: & Deo magis, quā ANORMIS Normæ Bergensis sacerdotibus placere studet, & suam Administrationē per Dei gratiā sic instituit, vt coram omnib. equis iudicibus, quib. vos rationē & iudicium nō ademeritis, suarū actionum sufficiētem & conuenientē rationē reddere possit. Erras enim, mi homo, & vna voce duplex crimē falsi committis, si pupillū Principē, sicut scribere non dubitasti, primum cū lacrymis quotidie renitentem, deinde ad blasphemias Caluinistarū conciones deduci trahiq; credis, Sereno enim vultu, etiā absente sepe Illustrissimo Domino patruo Administratore, Christianas, Euangelicas & orthodoxas cōciones audit: in quib. tu ipse nihil desiderare posses, præter calūnias, cōtradictiones, & coruptelas Bergenses, quas nos plerisq; ordinib. Augustanæ Cōfessionis in nostro canone non habemus. Quid igitur vociferaris, mi Iacobe, Bebenhusij, nefandū facinus inau-

inauditum in Imperio perpetrari: dū illa in Palatinatu  
 fiunt? An ibi inter sylvas Bebēhusianas nō exaudis vo-  
 ces tot piorum virorū omniū ordinum per Germaniā  
 lamentabiliter Deo conquerentiū, nefandū in Eccle-  
 sijs bene constitutis, inauditū, intolerabile in Imperio,  
 esse. Iacobum Andreā non Sueuis solum, sed & Palati-  
 nis, Saxonibus, Brandenburgicis, velle de manibus excu-  
 tere emendatā, approbatā, in Comitijs Imperij defen-  
 sam, à tot claris Theologis recognitā Augustanā Con-  
 fessionē, & singulis quinquennijs pro suo arbitrio, no-  
 uas leges, nouas normas, nouas Concordiæ formulas  
 præscribere: dānare innocētes Preceptores suos: Aureū  
 & argenteū abacū habere, pecc⁹ ferreū, ingeniū plumb-  
 eum: Si de rebus nefandis & in Imperio inauditis cō-  
 queri volebas, de te certè primò querimonia instituē-  
 da erat, vel de Antichristi Romani militib. Imperij vr-  
 bes & pagos depopulantib. Ecclesiā vastatibus; vel de  
 nōnullis Principibus iuniorib. qui ab Euāgelicis scho-  
 lis ad Papisticas & Iesuiticas olim traducti sunt. Verūm  
 illa te nō afficiunt, nō cruciāt, exotica tibi & peregrina  
 sunt: hoc tantū afficit, quod tua Imperia non amplius  
 agnoscūt nostri Principes, nostri Theologi: & cū tear-  
 gumēta deficitū in tua OLIDA Refutatione, quā SOLI-  
 DAM esse volebāt famici tui, digrederis ad Narrationes,  
 quas Historias vocas; in quibus tua tropæa primum  
 commemoras: quod bono cuidā viro, Zuuingliano, vt  
 loqueris, dogmati imbuto: item, cum ad fontem aci-  
 dum lauares, Ministro cuidam in agro Tigurino de-  
 monstraris, recte à vobis dici, cum Coenam administra-  
 tis, & symbola distribuitis: Hoc est corpus Christi, &  
 hic rursus ostendis, te in contradictionibus potius  
 quam in demonstrationibus esse veritatum. Nam vt  
 maximē

*Dokt Smidh m*

*Natura d. Bonifaciu*

Pag. 199, 200.

maximè in illis Historijs nihil finges, quod non est verosimile, quæ est illa consequentio, quam aduersus illum priorem nestebas: Christus dixit, Hoc est corpus meum: & Apostoli non recusarunt Cœnam ab illo accipere. Ergo nec tu debes auersari Iacobum Andream, qui se manibus suis verum Christi corpus attrectarc, & dare dicit? cum constet, Christum quidem corpus &

*De Ministris quodā  
Agri Tigurini.*

carnem suam dare: neq; tamen sequatur, Ministrum idem ius habere, ut manibus accipiat verum & naturale corpus frāgat & tradat in os. Deinde in symbolis distribuēdis-ut illis ipsis verbis. Hoc est corpus meū, vta-

mur, neq; mandatū est, neq; Ecclesiæ Augustanæ confessionis socij ijsdē verbis hac in parte vtūtū. Et Q V O D P A U L U S A C C E P I T, tradidit, non ad illorum verborū recitationem in distribuendis symbolis, sed ad totam actionē Cœnæ, & verba Institutionis, quæ meritò semper recitari, inculcari, & explicari debent, quotiescumque Coena celebratur, referri manifestum est. Tu vero, D. Iacobe, si Tigurinum illum Ministrum tantopere reprehendere volebas, cur Iohannem Baptistam non reprehendis, quem tu procul dubio pro Sacramentario habes, cum Ioan. 1. dixit: *Ego baptizo aqua: ille (scil. Christus) est, qui baptizat spiritu sancto.* Nam cum Sacra-menta actiones sint, non tam terrenæ, quām cœlestes, Christus ipse cum Spiritu suo suas agit partes, & dum foris Minister symbola adhibet, vna operatur, & rem cœlestem communicat. Ceterū Minister ille agri Tigurini coram viris fide dignis testatus est, te eius verba perperam referre, & malè narrando deprauare.

Tu vero, D. Iacobe, vt te non Comicum solum, ve- rūm etiam Tragicum scriptorem esse ostēdas, ad Tra-gœdias & Tragicos casus recitandos pag. 333. te conuer-

*Tragica  
narratio-  
nes Schmid  
kini.*

tis:

tis: ut inde efficias & concludas, pestiferum esse dogma  
 Zuuinglianorum. Hic tamen verecundiam tuam lau-  
 damus, quod fuitiles illas & pueris ipsis Tigurinis & Ba-  
 siliensibus ridiculas fabulas vestras de Zuuinglij & Oc-  
 colampadij obitu exemplo vestri illius scurræ Iohan-  
 nis Schützij, non reponis: sed ad ea, quæ tibi notiora  
 sunt, & quorum pars magna fuisti transis. Et benc se  
 habet, quod initium facis à Stösselio, qui per totum  
 suum ferè curriculum vester fuit, donec, remelius ex-  
 pensa, & tum colloquij illius Heidelbergensis cum D.  
 Boquinorecordatione, tum vi veritatis pressus, mitius  
 de nobis loqui, & rectius de re Eucharistica sentire cœ-  
 pit. Nam quæ tu fabularis de Boquinum superato, de lu-  
 risconsultis & Medicis cōductis ad Boquinum defen-  
 dendum, ea totus mundus, Bebenhusij à te conficta es-  
 se, vel ex ipsa Exegesi illius colloquij, quæ à tuis fratri-  
 bus Lipsensibus hoc mercatu autumnali edita est,  
 cognoscet. Cur ergo tibi credamus, nescio quid Tra-  
 gicum de Stösselij obitu narranti: præsertim cum con-  
 stet te & alios tui similes dominatores alienæ fidei, dū  
 in Saxoniam, vi & minis multos contra conscientiam  
 ad vestras subscriptiones adegistis, aliquot Theologis  
 & Ministris Melancholiae tetræ & luctus summi cau-  
 sam & autores fuisse. An verò illud ita Tragicum cen-  
 seri debet, quod sicut Schützius ipse vester narrat, ten-  
 tationes quidem sensit Stöselius: sed quæ nec veram  
 peccatorum agnitionem, nec inuocationem impe-  
 diuerunt?

Quæ de viris clarissimis & optimis, D. Vuidebramo,  
 D. Mollerio, D. Crucigero, D. Pezelio commemoras,  
 eiusdē Spiritus & fidei sunt: & ad vestras calumnias lu-  
 culenter respondit D. Pezelius in sua Apologia anno

*De D. Stöf-  
selio.*

*Lipsenses  
conuincit  
D. Jacobus  
falsi.*

*Iacobus  
Andrea  
tragicorū  
caſuū au-  
tor.*

*De quaerun-  
or Theolo-  
gis Vuide-  
bergisibus.*

82. edita contra Hermannum Hammelmannum. Hoc  
semper est opus Diaboli, inquit Cyprianus in epistola  
ad Antonianum: ut seruos Dei mendacio laceret: ut  
qui conscientia laude clarescunt, alienis rumoribus fodi-  
dentur.

*De Thomā  
Pistorio.*

Dum tu vero per totum Palatinatum oberras, D. Ia-  
cobe, & nihil reperis, quod ad tragicas tuas narrationes  
faciat, nescio quam historiam fabricaris de quodam  
Thoma Pistorio, quem primūm Eppingæ in Palatinatu  
Caluinianorum errores propagasse ait, & tandem  
Iamborum contra tuam Vbiquitatem scriptorum  
poenas dedisse, & cum horrēdis gemitibus vitam clau-  
sissime scribis. Singula verba huius narrationis sint spe-  
culationes Bebenhusianæ. Non enim is primus E-  
uangelium ibi docuit; sed reverendus & doctus vir M.  
Georgius Junius, pia memoriae, qui ante paucos annos  
placidissimè Alceæ in Christo obdormiuit, neque er-  
rores Caluinianos, sed incorruptam & à fermento  
Pontificio & Vbiquitario doctrinam tradidit: neq; de  
illo tragico ipsius obitu quidquam audiuimus: sed  
de quodam fratre tuo Vbiquitario, qui Bebenhusijin  
summa desperatione se præcipitem dedit, & ceruicem  
fregit, nota est tibi historia: ita ut non suadeant tibi  
amici, vt in tanta tua Melancholia illo hospitio diu-  
tius utaris; præsertim cum iuxta illud Solonis: ante  
mortem supremaque funera, vix ullus beatus pronuncia-  
dus, nec scias, quisnam te tot Tragicorum in Ecclesia  
motuum & schismatis Bergensis autorem, exitus ad-  
huc maneat.

Sed næ tu vir es, qui non diu in eodem loco con-  
sistis, & peregrinationibus mirè assuetus: qui ex Pa-  
latinatu & Eppinga, Augustam Vindelicorum nos sta-  
tua

tim traducis, & prolixè recenses lamentabilem vi-  
ta exitum cuiusdam ciuis Augustani, Iacobi Glary:  
quem eodem Spiritu & eadem fronte Caluinianum  
fuisse, fingis: qua Carolstadium, Schuuenfeldium  
Anabaptistas nobis adiungere soles. Nunquam e-  
nim ille Ecclesiarum nostrarum membrum fuit: no-  
biscum aut cum nostris Theologis familiaritatis ei-  
nihil intercessit. Et nouit tota ciuitas Augustana vi-  
rum fuisse ab annis plus quam quadraginta suis co-  
gitationibus & suo sensui addictum: qui iam Pa-  
pisticis concionatoribus, iam alijs quibusvis Mi-  
nistris palam & in faciem, etiam in cœtu contra-  
dixerit.

*De Iacobo  
Glario.*

Verum quæ singula non iuuant, coniuncta & coa-  
ceruata tua mendacia, causam tuam, scilicet, adiuu-  
bunt. Andrea Redi, quæsumus, ad te, veritatem & pacem  
in scriptis tuis consecutare, & ab euentu qui pijs & impijs  
calamitosus sepe accidere solet, de doctrina aut fi-  
de ne iudicato. Ethnici ipsi statuebant, *non facta*,  
vt loquebantur, *sed facta hominum notanda*. Quod  
si per Germaniam, per tuam Sueviam conquirere-  
mus homines furiosos, vel aurigas insanos, Chris-  
ti nomen horribiliter blasphemantes, & diris fese  
deuouentes, qui tamen oralem manductionem cre-  
dunt, & vestra Synaxi aut vtuntur aut vni sunt: non  
minorem catalogum vestro catalogo subscriptorum  
Normæ Bergensis conscriberemus. Agnoscitis, vt  
existimamus. D. Andrea & D. Luca, vos in vestris  
illis postremis scriptis, apud vos non fuisse, sicut ira  
sepe mentem præcipitate solet magnam vos nobis  
debere gratiam, qui monemus familiariter, & ad ve-  
ros consolationis fontes in vestra perturbatione vos

F ij deduci.

*Pericolo-  
lationis  
fontes.*

deducimus: nimirum, ad studium VERITATIS & PA-  
CIS: cui si ex nostro consilio vos dederitis, næ vos omni-  
bus illis ægritudinibus & solitudinibus de PALATI-  
NATV liberabimini, neque Bebenhusium ad Bidenba-  
chios, neque in alia claustra eritis relegandi: sed cum  
Ecclesiae ædificatione & summa vestra laude in voca-  
tionis vestra cancellis consistentes, Deo seruietis: eius  
perpetuò memores, quod Salomon Proverbiorū cap.  
15. scribit: Lingua sapientum aptè & commodè vñit scien-  
tia: os vero stultorum ebullit stultitiam.

*Contrater-  
riam per-  
turbationi-  
nem.*

Ceterum ne quid vobis fortè desit, quod omnibus  
vestris perturbationibus opponatis: dicendum est no-  
bis postremo loco aliquid, Reuerendi viri, de illo ve-  
stro mœrore, quo afficimini, quia Theologos discipu-  
los vestros, si qui ex ijs ratione vtuntur: Iurisconsultos,  
Medicos, Philosophos, ad consensum orthodoxum  
deficere videris. Ideo tunominatim, D. Iacobe, cum  
Grynao expostulas: & Iurisconsultos subinde lacestis: &  
rāndem planè excandescens vociferaris: Valeant Plato-  
nici, Aristotelici, Alcinous, Galenus, Hippocrates, Baldus, Bar-  
tolus: quos autem intelligas, sepe ex primis nominans  
aliquot clarissimos & doctissimos & Euangelicæ do-  
ctrina cōtra Pontificios vindices acerrimos Iuriscon-  
sultos: sicut & Christianos Medicos aliquot & Philo-  
sophos: illi omnes, crede mihi, tibi maximè cōdolent,  
& nisi viderent, te in posterum, si paroxysmi tui Me-  
lancholici inualecent, non tam scriptis quām vincu-  
lis & catenis cohercendum, tibi facile aliquid respon-  
derent. Netu vero de eo amplius labores, cur tam mul-  
*Theologs.  
enr à Iaco  
bo Andrea  
deficiant.* ti præstantes viri tibi fauere desinant, in promptu est  
causa quam tibi D. Iacobe, recensebimus. Defici-  
unt à te sanioris mentis, & quicunq; non planè seruiliis  
ingenij

ingenij sunt, Theologi, quia vix vlla Spiritus Christi vestigia in te deprehendunt: & corpori Christi, quo salutem nobis promeruit, vix vllam amplius proprietatem, & certam notam, qua cum pro fratre & iuxta carinem consubstantialem, agnoscamus, relinquis, Denique quia procacitate linguae & audacia ingenij te emere velle & in Ecclesijs omnia pro arbitrio miscere, animaduertunt.

Deficiunt à te Iurisconsulti, quia te contra leges, in tua propria causa tibi ius dicere: legislatoris non mentem & sensum, sed verba tantum tueri velle evident. In causa Testamentaria æquè infeliciter te versatum esse Tubingæ palam aliquando tibi demonstrarunt: cum in ipsis Testamentorum tabulis, & sigillis bona legata & rem Testamenti realiter & substantialiter, vt loqui soletis, latere affimates. Deficiunt à te Politici viri muliti: & sapientissimi Principum illustrissimorum & in clytarum Rerum publicarum consiliarij: quia te in vulneribus Ecclesie & Reipub. quæ ipsi sanata cupe- rent, tanquam vnguem esse, & ad tuendum tuum Ex- archatum, rerum nouarum studiosum, & planè irre- quietum hominem esse sentiunt. Deficiunt à te Medi- ci: quia morbum tuum, quem agnoscere non vis, tan- tum abest, vt remedia admittas, insanabilem esse videt, & morbum esca animi, cui curando nullum Pharma- cum, nec simplex nec compositum in Pharmacopolijs reperiatur.

Deficiunt à te Philosophi; quia nullas regulas hacte- nus in Aristotele inuenierunt, quibus contradictiones tuas conciliarent: neq; rationem, qua ea, quæ sunt, non ad substantiam aut Accidens; sed ad nescio quam REA- LITA TBM VBIQUITARIAM reuocentur. Deficiunt à te

*In fiducia a summa ob via heros sed*

*Iuriscon-  
sulti & Po-  
litici cur à  
D. Andrea  
deficiant.*

*politicæ*

*Medicorum  
à D. Iacobo  
deficiant.*

*Philosophia*

Oratores.

Oratores, quia malam, ruinosam, perditam causam te agere animaduertunt, cui tu sic diffidis, ut ea Principes cupias nomine tuo agere & defendere, quorum auctoritate & clementia te nimis haetenus abusum omnes boni certè passim queruntur. Plausibilis est in aulis illa vestra oralis manducatio, & hæc ratiocinatio: *Nihil verrè edi, quod ore corporis non concedatur:* plausibilis in glyciosa fidelis animæ perceptio rerum cœlestium, & cōiunctio cum Christo, grata Deo & omnibus pijs simplex veritatis oratio: grata modestia & humilitas: gratus mores à supetbia & auaritia alieni: quales si vos praestabitis, confirmamus vobis, Reuerendi viri, fore ut breui in gratiam vobiscum redeant Theologi siores: Iurisconsulti orthodoxi: Medici; Philosophi. & oratores Euangelici Christiani.

Epilogus

Verum si nihil ista nostra Epistola & Admonitione proficiemus, & ad aularum & claustrorum patinas & offas, maledicta vestra in nostras Ecclesias cuomere pergetis: testamur coram Ecclesia, nos qui in nostris sanctis vocationibus tempus melius collocare volumus, cum furiosis, vel cum stercoribus nolle in postulum certare, & sola innocentia vita, fidei sanæ integratate, patientia & constantia vestros latratus refutare decreuisse: donec vel alij legitimi huius causæ arbitri, legitima in synodo & libera congregati accedant, vel magna ille è cœlis Iudex appareat Dominus nos. ster Jesus Christus, cui sit honor & gloria in seculum.

E I N I S.

REFOSITO  
CONVENTO  
de la Compañía de  
Jesuítas en  
proposito

de J. Ignacio de Loyola

en su libro de la  
relación de las  
reverentes y exhortaciones

de la Compañía de  
Jesuítas en  
proposito

en su libro de la  
relación de las  
reverentes y exhortaciones

de la Compañía de

1745963